



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Declaratio sanctæ trinitatis. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

Amoris diuini
tas, æqualitas,
nexus, idem.

Cap. VIII.

Nunc patet, quod qui non attingunt, non aliud non esse idem, & non idem non esse aliud, non possunt capere unitatem, æqualitatem, & nexum esse idem in essentia, & non inter se idem. ideo trinitatem in deitate non capiunt, nisi in tribus dijs. CHRISTVS autem nos docuit, Deum patrem uiuificare, & filium eius uiuificare, & etiam spiritum procedentem ab utroq; uiuificare: ut in euangelio eius per Ioannem apostolum descripto legitur. Non sunt tamen propterea nec tres uiuificatores, nec tres dii uiuificantes: licet pater non sit filius, nec spiritus sanctus ab illo & filio procedens. Palam est, illos qui hec non capiunt, non habere conceptum perfectiorem de Deo perfectissimo: sed sibi fingere Deum quandam nequaquam ultima felicitate felicem, innaturalem, sterilem & infecundum, carentem dulcedine paternalis & filialis atq; utriusque amoris & gaudij, atque perfectione foecunditatis, non attendentes Deum per Esaïam dixisse: Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit dominus. Si ego, qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero? dicit dominus Deus tuus. Neq; possunt Arabes hunc Esaïam prophetam respuere, cum in Alchoran nullus prophetarum respuitur, sed omnes acceptantur.

AENIGMA, LICET REMOTVM,
benedictæ Trinitatis, Cap. IX.

Oportet in istis ad ænigma recurrere, quousq; habeamus intellectum exerci-
tatum. Vidi aquam magnam inter rotundas ripas sine alterius aquæ influ-
xu & effluxu semper eiusdem quantitatis, habentem in circuitu fecundas arbo-
res, segetes, & prata; & rustici propè habitantes non sufficiebant laudare aquam
qua nullam putabant dari meliorem. Admirabar quomodo non diminueretur
& exiccaretur, cum non uiderem riuulum in ipsam fluentem, & cur non putres-
ceret, quia stagnalis apparuit. Accessi propius, & subtiliori consideratione diu
habita, comperi in medio fontem apparere, & hoc ex flumine, qui effluit de cen-
tro uidebatur, sic esse iudicari, & dixi: Hæc forte est ratio, cur hæc aqua nun-
quam minuitur, quamuis arboribus & seminibus atq; herbis præstet, unde uege-
rentur: quia uiuus fons non sinit ipsam imminui, & quamuis sit stagnalis inter
ripas, tamen continue innouat seipsam, quia procedit ex fonte & fluuij fontis.